Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XVII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

Vide Liber 2. dy

confessionem. Rursus ergo simul Xaverij voce, simul Divina ope mollitus, spatio sumpto confitetur. Remedium non magis salubre quam opportunum fuit. Sacrae Confessionis beneficio non tantùm noxa depulsa, sed pristina illi mens reddita est. Quinetiam se omni facultati cum fide in pauperes distributa, socium se, uti antè statuerat, Xaverio comparem adjunxit, levitatis memoria roborante constantiam. Per eadem tempora alijs quoque socijs aucta est. Antonius Criminalis Parmensis, et Joannes Beira Callaicus è Societate JESV exiguum quidem sed opportunum auxilium è Lusitania missi Indiam appulerant. Quorum adventu per litteras cognito (: ut primi subsidio venerant :) mirè laetus Xaverius, eosdem operam quamprimum alii in tanta Sacerdotum penuria decrevit. Ipse ne Indiae finibus suus circumscriberetur labor, occasione navigij data, ulteriora Orientis petere intendit.

Depravatos Malacensium mores corrigit
Caput XVII.

Solvit ex Mellapora S. Thomae Malacam versus, anno post Christum natum M.D.XLV. (1545) Causa eundi fuit, ut Lusitani eius urbis incolis excultis, ad Mercatores Christianis praeceptis instituendos pergeret. Malaca regio peninsula est trans Indum, flumenque Gangem, à veteribus (: ut quibusdam placet :) Aurea Chersonesus appellata. Quippe continenti non lato coniuncta Isthmo, et in altum projecta, ad insulam Somatram (: Taprobanam olim dictam volunt :) aurifodinis celeberrimam procurrit. In hac Chersoneso, è regione Somatrae, Malaca urbs est Lusitanorum copiosa in primis ac nobilis, quae Chersoneso nomen dedit, ab urbe Goa Leucas propè DC. Ea quidem sub aequinoctiali fermè linea sita est; caeterum quotidianis ferè imbribus mari Malaca

mor

ni̅s aestu temperantibus, uere fruitur pene perpetuo. Fruges ac fructus bis in anno binis spatijs percipit. Caeterum amoena magis ac fertilis est, quam salubris: quia ex ijsdem causis terrae fecunditas, et coeli grauitas oritur. Accedit pestis grauior, uicinitas Saracenorum Ethnicorumque. Neutra tamen res Franciscum à proposito deterruit; altera ut uicinorum odio periclitantibus subueniret, etiam accendit. Malacam ut appulit, Praefecto urbis adito, suum Macazaricae expeditionis consilium exponit. Tum ille Xauerio narrat, eò nuper a se missam cum Sacerdote spectatae uirtutis non contemnendam Lusitanorum manum, Christianis si qui forte inibi motus exstitissent, praesidio futuram. Proinde monet, ut si uideatur, subsistat Malacae, quoad naues, quae illos duxerunt, reuersae, quo in statu Macazaricae res essent, renuntient. Franciscus Praefecti consilium secutus, interim nullo spatio ad quietem sumpto, Lusitanorum saluti consulere coepit. Erant tum Malacenses accolarum peni-

Ethnicorum consuetudo Christianis perniciosa

tus infecti moribus, Ethnicis profectò Saracenisque similiores quàm Christianis. Namque ob Sacerdotum inopiam magis quàm incuriam, labente paulatim disciplina, mores quoque magis magisque lapsi coeperant praecipites ire. Itaque illi salutis et honestatis immemores, quicquid liberet aut expediret, fermè etiam licere credebant; tantum ad nequitiam contagio ualet consuetudinis. Itaque Franciscus illorum animos adeò grauiter affectos intuens, ut jam nec uitia sentirent, nec communia remedia ferre possent; perditas mentes mira adoritur arte. Primò

Mira ars perditos homines conciliandi

comiter, uti solitus erat, in illorum se familiaritatem dare, in peccatis conniuere, medendi uoluntatem dissimulans. Inde usu et comitate illorum

ta illorum animos demulsit, sensim ad inveterati
morbi curationem sibi viam facit, modò divinas
legibus propositis flagitia ipsorum ostendens,
modò imbrandatis variis humanæ vitæ casibus.
Dei terrorem incutiens. Ad ultimum mentibus
præparatis admovet manum: avaritiam resecat,
libidinis illecebras removet, recrudescentia consci
entiæ vulnera divinæ misericordiæ oleo delinit
sanatque. Laborem bene positum perceptus inde
fructus ostendit. Satis constat, Francisci operâ
male partas pecunias à plerisque restitutas:
permultis pellices complures admirabili ra-
tione subtractas: nonnullis ægrè eas dimitten
tibus, ut matrimonio secum jungerent, persuasum:
plurimos sacra expiatos confessione, atque ad piæ
vitæ genus adductos. Nec privatim magis
sermonis sanctitate profecit, quàm publicè
gravitate orationis. Diebus Dominicis in ma
ximo urbis templo conciones habebat ad
populum, non minore fructu quàm approba
tione auditorum. Quos ut magis urgeret,
atque ut altius in eorum animos salutaris Vaticinatione
descenderet metus; quæ divinitus imminē
bant civitati, ingenti animi ardore prædixit.
Animadversum est à multis, sæpe illum, cum
pro concione perditas ac profligatas Malacen
sium vitæ rationes insectaretur vehementius,
cælestem iram iram impendentes civibus, præ
nosque deprecari solitas eas ipsas, quas ob
eisdem paulo post Deus expetijt. Quippe anno
insequenti Malaca ob Dauis Saraconis gravi
obsidione afflicta est, unáque agri depopulati.
Et belli calamitatem foeda pestilentia excepit, quæ
universam pervagata urbem, miras civium advena-
rumque edidit strages. Ita urbs assiduis
funeribus

funeribus propemodum exhausta est, Deo vete-
ra civium delicta vindicante, nondumque undique
civitatem. Xaverius ergo imminentia mala di-
vinitus providens, sive ut iras divinae justitiae
aliquâ molliret ex parte, sive ut incolarum ani-
mos ad impendentem cladem perferendam prae-
pararet, talibus calamitatibus subinde infestatis
Malacenses admonebat, ut aliquando ad consi-
lia salubriora se verterent. Nec frustra id
fuit, plurimi iram caelestium horrore ac religio-
ne perfusi, tandem e capitali animi sopore discus-
so resipuerunt. Inter quae haud leviter civi-
tatem admirabile Francisci facinus movit. Ado-
lescens indigena (Antonio Fernando erat no-
men) diabolo exagitante linguae usum amiserat,
& simul in periculosum inciderat morbum, ex
quo desperata à medicis salute jacebat jam
triduum. Adhibentur ergo à cognatis superstiti-
osis atque impiis hominibus beneficii nefarium
medicorum genus. Caeterum postquam benefi-
cia nihil proficiebant, accersitur Xaverius. Quo
in cubiculum, ubi ille jacebat, ingresso, subitò
aeger furere, vociferari, vultus, oculos, ora
foedum in modum distorquere: sentire dae-
mones, accire se ad pugnam, quem instare
cernerent. Ibi Franciscus simul adolescentis
miseratione, simul diaboli odio commotus in-
gemuit: mox genibus humi positis Deum ci-
xe orare primum, deinde furentes daemones
ritè exorcizare coepit. Nec prius pugnare pre-
cibus destitit, quam is [illegible]
ex jactatione illa conquievit. Postero die
Xaverius, sacro B. Mariae adjectam facto,
aeger et alacrior redit ad pugnam, novum dictu
repetitò

Energumenum aegrum diabolo ac morbo liberat

repente victo excussoque importuno exagitatore,
& loquendi facultas aegro et mentis sanitas red-
dita: mox etiam valetudo corporis secuta. Non
alia res magis Franciscum apud Christianos
barbarosque fecit sanctimoniae famâ insignem
Quippe vulgò Sanctus Pater appellari coeptus est,
veteri cognomine, quod in India reliquerat, Mi-
lata renovato. Subinde etiam vaticinio clarum
eius nomen ac celebre fecit. Percontabatur pro vaticinatio
amicitia Lusitanus institor Indiam petiturus
quonam navigio vehendus esset. Illo certam desi-
gnante navim, Nolim, inquit, ista veharis.
Cumque mercator se in eam jam merces imposuis-
se diceret, caeterum, si quod immineret incommodum,
malle res quàm semel perire: collegit se pau-
lumper Xaverius. Inde velut consulto Deo fun-
dens oraculum, Quando, inquit, merces isti navi-
gio credidisti, eidem caput quoque tuum credas
licebit. Caeterum si qua tempestas aut casus in-
gruerit, cave mercium facias jacturam, satis fidens
divinas tibi adfuturas opes, quae periculo eripiant
te tuaque. Nec vaticinatio fefellit. Oneraria
in medio cursu vi tempestatis abrepta, haesit in
syrtibus. Itaque caeteri periculo territi, vasorum
oneribusque jacturâ levare navigium parabant;
cum mercator ille, Francisci praeceptorum memor
id fieri vetuit, sancti viri praedictionem enuntians,
et illius verbis caeleste auxilium pollicens. Nec
mora. Superfuso repente mari navis emersit,
et periculo defuncta portum incolumis tenuit,
faciente Xaverio. Huius rei fama Malacam dein-
de perlata, mirum quantum eius nomini ac famae
sanctitatis

Animas purgatorij e lethali noxa saucios sub noctes commendat.

sanctitatis adsciverit. Franciscus interim non modò
vetera Christianæ pietatis ministeria non omisit,
sed etiam excogitavit nova. Post solis occasum ipse
per urbem obiens in vias tintinnabulo excitatos
subinde solenni carmine admonebat, ut pro cruci
atis purgatorio igni animis, proque hominibus
scelerum veterno sopitis divinam clementiam im
plorarent. Quod institutum, non mortuis quàm
vivis salubrius, Malacensium animos non pa
rum accendit. Ad hos labores, quibus lapsam
Malacensis civitatis disciplinam restituit, accede
bat in cumulum haud levis occupatio, ut Chri
stianas institutiones adhibito interprete in
eiusmodi verteret linguas, quam Macazarij intel
ligerent, quibus imminebat lætis identidem
nuntijs invitatus. Iisdem enim fermè diebus

Macazarum præparatio ad Evangelium cui prædicandum.

allatum est, eius gentis animos ad Christianæ
fidei semen excipiendum mirè esse propensos.
Nulla apud eos delubra idolorum, nullos sa
cerdotes, à quibus ad Deorum cultum impellerentur:
Solem duntaxat ipsum orientem ab eis coli, præ
terea nullum omnino Deum. Nihil iam Xaverio
longius videbatur eo die, cum conversis in illorum
sermones catechismo exploratoque insulæ statu
ad eos instituendos tenderet. Verum interea
se ad tantam provinciam divinarum rerum contem
platione, cælestibusque maximè instruebat spiritus;
Nam cum dies totos in caritatis officijs poneret,
nocte somnum fraudans, invigilabat precibus
meditationique; ut cælesti igni exardesceret
ad Macazarios Dei hominumque caritate
flagrans veniret. Iam menses Malacæ aliquot
absumpserat, nec ullus de navi, cuius reditum
expectabat, nuntius afferebatur. Quocirca bona

cum profecti

cum præfecti venia Macazariam petere decrevit,
gentem illam erudire festinans

In Amboino multa edit vaticinationis, et
caritatis indicia

Cap. XVIII.

Ubi primum transmittendi, quod destinaverat, fa-
cultas data est, Malacâ discedit, Duro socio
et comite, quarto Idus Januarias anni M.D.XLVI
Prospero ventis usu, non sine multis incommodis
portum tenuit. Amboinum insulam cum caperet
gubernator, præteritam a se portum ratus graviter
angebatur, desperans posse jam adverso vento — Vaticinatio.
destinatum teneri locum. Tum Franciscus gu-
bernatorem bono esse animo jubet, nondum
navim locum, quem videret, prætervectam:
postridie mane eum ipsum portum, quem pe-
teret, esse capturam. Idque ita prorsus evenit,
incommodâ tempestate. Postera die,
quamvis albente cælo, portus in conspectu fuit. Porro in-
cubuerat ad eam horam ventus adeo, ut ad capien-
dum Xaverium, cuius causa insula petebatur, — Ventus Xaverio morem gerit.
nullo modo anchoræ iaci posse viderentur. Cæ-
terum ut ad os aditumque portus ventum est,
subitò ille vehementior flatus quasi Xave-
rio morem gerens, ita remisit, ut commodè na-
vis caperet portum. Ecce autem in ipso portu
periculum. Xaverius in scapham cum paucis de-
silierat, ad terram applicaturus; cum ei repentè
duo illi piratici myoparones occurrunt. Ergo
Lusitani, qui unà cum Francisco vehebantur,
cursum avertere, & quàm maximè prædonum
occursum vitare: sed altum effugia petentes
fuga, à terrâ provecti sunt longius. Deinde
verò vitato periculo terram repetentes, ventis

coeperunt